

IV. *Mulieris ejusdem Historia; ex Epistola Medici Doctissimi, Gulielmi Oliver, ad Richardum Mead, M. D. R. S. & Coll. Med. Lond. Soc.*

Vir celeberrime,

TIBI omnium animalium naturas & formationes optimè callenti, acerrimo judicio quotidie perscrutanti, historiam inusitatæ, ac plane mirandæ ejusdam structuræ partium ingratam non fore, nullus dubito.

Mulierem, Comitatus *Cornubiæ* incolam, in hunc modum, quem jam sum descripturus, a cunabulis formatam fuisse, matronæ vicinæ, & non patris res & nota & examinata fuit, uno ore consentirunt. Substantia quædam carnofa, spongiosa, floride rubescens, levissimum tactum, ob atrocissimum dolorem inde oriundum, fugiens umbilici, v. Fig. 10. quæ non ex Autopsia sed ex Chirurgi narratione delineata est, naturalem locum usurpabat, & e cavitate, quæ plerumque ibi est, quasi pullulabat. Ex hac excrescentia, quæ nec augeri, nec minui, per multos annos sentiebatur, continuo destillabat urina, cui nec alia patuit e corpore via, neque hac potuit vel violentissimis nixibus cum impetu expelli, vel per saltum excerni, adeo ut paulatim exsudans vestes interdiu, substragulaque nocte madefaceret, inquinaret. Paulo, infra, ad distantiam pæne palmi minoris, orificium quoddam, longitudine unciam unam, latitudine digitum transversum æquans,

sese ostendebat, ut indicem admitteret, & tamen perstringeret, satis amplum. Hac via effluebant a pubertate menstrua, unde ad Vaginam & Uterum hunc esse aditum facile patebat. Ad eandem fere distantiam, qua orificium hoc Vaginæ ab excrescentia illa distabat, patuit & orificium alterum, superiore minus, digitum minimum vix capiens. Huic autem orificio cum intestino rectocom municationem dari, tenuissimæ fæcum partes, ex eo frequenter protrusæ, satis demonstrabant. Ab hoc autem Pseudo-Ano Anus verus, per quem excrementa duriora dejiciuntur, unciis quinque vel sex extitit, & naturalem fere pudendorum situm obtinuit. Pili quidem aderant, sed rari, nec margines alicujus orificii magis quam reliquorum ornantes, sed duas lineas describentes, quæ a medio spatio inter excrescentiam illam & commissuras femorum cum abdomine incipiebant, & sibi mutuo appropinquantes angulum, in cuius vertice positus est verus Anus, conficiebant. Hunc in modum conformata, valetudine satis bona fruebatur virgo, & æterna virginitate ex necessitate laboraturam concluserant omnes, quibus res innotuerat. Advenit tandem Nauta quidam, cui æs triplex circa pectus erat : Illam vidit, amavit, duxit, & non multo post imprægnavit. Gestationis tempore optimæ se habuit mulier, quo propemodum finito, de difficultate pariendi, non sine ratione, aderat gravis suspicio. Orificium Vaginæ a viri congressu non omnino dilatabatur, adeo ut de modo imprægnationis multæ inter mulierculas ortæ sint disputationes ; & asseruere aliquæ non sine dedignatione & horrore, maritum aut viri nomine non esse dignum, aut per aliam introivisse viam, quod bonus Deus vetet ! Immisionem autem Penis in Vaginam ad imprægnationem non esse absolute necessariam, non est quod tibi, Vir clarissime, cui

hæc omnia optime nota, narrarem. Exemplis turgent libri Medici. Mulier tamen de sua vita anxia Chirurgos aliquos adivit, consilium petiit, opem precatæ est. Unus tandem apud *Foy*, oppidum non procul a mulieris nostræ habitaculo, casu audito, re perscrutata, ad promovendum partum, si opus fuerit, operam suam navare promisit. Gestationis tempore perfecte finito, dolores aliaque symptomate partum prognosticantia illam tentaverunt. Chirurgus advocatus aderat. Refert ille infantein conatus suos ad regionem pubis, illa ipsa autem ad orificium Vaginæ fecisse dicit. Quid est agendum? Dixit ille incisione exitum infanti esse aperiendum; ex crudeli misericordia renuunt adstantes, ingravescunt dolores, supervenient convulsiones, vita desperabatur. Tandem cum mortem præ foribus esse omnes judicaverunt, illam pæne expirantem in manus & potestatem Chirurgi tradiderunt. Ille statim dissectionem istius Isthmi, qui inter orificium Vaginæ & Pseudo-Anum erat, & haud improprie Perinæum posset vocari, instituit. Integumentis exterioribus dissectis, membrana quædam valida & crassa, transverse locata, sepe in conspectum dedit, quæ Vaginam a canaliculo illo inferiore dividebat. Hac dissecta iter ad Uterum fatis amplum patuit, manum introduxit, os Uteri digitis dilatavit, infantem capite prehenso in lucem tuto eduxit, matrem ad vitam revocavit. Hanc mihi ipse historiam retulit, illa ipsa confirmavit. Rei enim novitare percussus *Foy* adivi, utrum verum esset necne sciendi gratia. Chirurgum de structura partium originali, & operatione sua tantum non Cæsarea, solicite interrogaui. Omnia, ut supra narravi, graphice descripsit. Fœminam autem ipsam videndi maxima mihi fuit cupidio. Amicum quendam meum, honore semper colendum, ut sub prætextu alicujus negotii mulierem ad domum

T t t

suam

suam accerseret, rogavi. Accersita venit. Desiderium meum aperui. Illa ab ullo examine, tanquam re omnibus modestiæ & virtutis regulis contraria, religiose abhorrebat. Me Medicum professus, rem tam ab omni immodestia alienam esse probavi, quod cum in usum publicum cederet, casum suum coimunicare ejus esse officium demonstravi. Hac ratiocinandi methodo, & argumenti alterius aurei ope, votum obtinui. Muliere igitur ad examen cominode locata, excrescentiam illam umbilici cavitatem usurpantem superiori descriptioni ad amissim respondentem inveni. Illam cum summo digiti levissime tetigerim, misella, non aliter ac si gladio perfossa fuisset, discruciata ejulavit. Mirum sane mihi videtur hanc mulierem cum marito suo posse congregari; ex situ enim partium nihil aliud cogitare possis, quin vir rei Venereæ incumbens, excrescentiam illam, aliter prorsus intactilem, abdomine suo duriter perfriaret. Rogata quomodo hæc perficiebantur, respondit se omnia ob amorem, quo maritum suum prosequebatur, posse pati. Sic amor omnia vincit. Sed ad Rem.

Hæc excrescentia ex multis lobulis, propriis membranis obductis, a se mutuo distinctis, conflari videntur. In interstitiis horum lobulorum poruli, per quos stillabat urina, oscula sua ad superficiem aperiebant. Paulo infra hiatus magnus, ex unione chirurgica duorum orificiorum ad partum facilitandum confectus, sese ostendebat. Procidentia Uteri tunc temporis laborabat, qui extra labia, si circumferentia illa mereatur nomen, propendens, longitudinem sex unciarum, magnitudinem ovi anserini æquabat. Tali procidentia se semper a partu usque laborasse narravit, & quidem mirum esset si aliter accidisset; tanta est enim ad orificium Vaginæ apertura, ut nihil possit ab extra

extra Uteri prolapsui obstat, & Uteri corpus multo magis, quam in statu vulgari, a vesica premitur. Verisimile enim est urinam ad excrescentiam illam per urachum ascendere, & per illum ab initio fluxisse, quia per meatum urinarium nullum natura præbuit exitum; impossibile tamen est, ut urina per urachum ad umbilicum ascenderet, usque dum vesica sit turgide repleta; ex illa vero plenitudine necesse est, ut semper in Uterum non parvo pondere gravaretur, & illum foras extruderet. Ut conformatio partium melius appareret, reclinata in lectum Muliere, repositionem Uteri tentavi. Non citius illum introducere cœpi, quin urina a pressione in vesicam repletam facta, per poros excrescentiæ umbilicalis, multis rivulis, pilum crassiore magnitudine non superantibus, cum impetu ad plures pedes profiliebat, fontem artificiale non injucunde æmulans. Exinanita vesica, Vaginam inversam in naturalem situm facile restitui; restitutis Vagina, & Utero dehiscebat chasma magnum, ex positione corporis circulare, cuius diametrum tres pollices transversos metiri credo, cuius fimbriæ, potius quam labia, multis farcomatis inæqualiter horrebant. In superiore ejus margine interno meatum urinarium frustra quæsivi, in inferiore Pseudo-Anum facile inveni, per quem digitum sub pubem, quæ ad cartilagineam mollitiem accedere videtur, ad intestinum rectum immissi, necnon contentis ejus turpiter infectum eduxi, unde credo rectum, ad tres pollices supra sphincterem Ani, esse perforatum. Paulo subtus pubem, situm, quo aliarum sinus ipse pudoris gaudet, verus Anus hujus foeminae obtinet, non consueta caligine & profunditate occultus, utpote non intra clunes positus.

*Figurarum 10 & 11 Explicatio.**Fig. 10.*

- a* Excrecentia umbilicalis.
- b* Orificium Vaginæ.
- c* Pseudo-Anus.
- d* Anus.
- e e* Pili.

Fig. 11.

- a* Excrecentia umbilicalis.
- b* Os Uteri.
- c* Anus.

G. Oliver.

V. *Fluxus sanguinis per Penem mirabilis. Ex Epistola Viri Doctissimi Domini Howman, M. D. ad Dominum Hans Sloane, Baronettum. Coll. Med. Lond. Praef. R. S. Vice Praef.*

QUadragenarius quidam civis *Norvicensis* pancratice valens, profluvio sanguinis sinceri per canalem urethræ correptus est, 30 die Junii, 1716. Idem rediit phænomenon, 31 Julii. Adhibitis quibusdam medicamentis, & celebrata venæsectione in Brachio, cohibus est fluxus sanguinis prædictus, usque ad octavum diem Septembris, ac deinceps penitus evanuit. Notatu tamen est dignum hæmorrhagias supra memoratas absque omni prævio dolore, seu postea spirituum dejectione contigisse.

VI. *An*

NEPTVN O · ET · MINERVAE
TEMPLVM
PRO · SALVTE · DOMVS · DIVINAE
EX AVCTORITATE · TIB · CLAVD ·
CO GIDVBNI · R · ECCL · AGN BRIT ·
COLLEGIVM · FABROR · ET QVI IN · EO ·
+ D · S · D · DONANTE · AREAM
PVDE NTE · PV DENTIN FFIL ·

^t A. SACRS.
or HONOR.S.









Fig. 4. W



No. N° 370.

